LVDOVICI XIII IVSTI FRANCIAE, ET NAVARRAE REGIS CHRISTIANISSIMI LAVDATIO FVNEBRIS

Habita Romæ

IN TEMPLO DIVI LVDOVICI

Nationis Gallicanæ

A IOANNE LAGAR

SOCIETATIS IESV.



ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. MDCXLIII.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISS.mo ET REVERENDISS.mo D.

D. AMATO DVNOZET SACRAE ROTAE DECANO.



EFELLERE nos vota (Vir Illustrissime.) *In efformando* LVDOVICO *desudauimus Galli, quà operum magnificentia, quà sermonis industria: sed conatu vtrinque gloriosè irrito: labores enimuero nostros longè transcendit principis sibi vni similis magnitudo. Ereximus illi Mausoleum diues, nobile, Augustum; templum, penè dixerim, meruit: Pantheon quippe, & omnium virtutum domicilium extitit. Virtutes quatuor principes illi statuimus; pars hæc tantùm fuit domesticæ familiæ; capiendo reliquo comitatui locus fuisset angustior. In emblematis cum Heroibus illum contulimus; in se omnes collegit. Vt penicillo succurreret calamus, exarauimus encomia, congessimus elogia, scripsimus epinicia; Europam interroga, vixit gloriosior. In vita pariter ac morte fortem æquè ac religiosum, oratione adumbrauimus; famam consule, maior assurrexit.*

Post hæc omnia adhuc errauimus : sed feliciter, & culpa ignoscenda : sciunt quippe imbecillis, dum faciunt quod in se est, ignoscere magni Manes : diuisimus enim, O nos profectò parum industrios, diuisimus LVDOVICVM, *maximum Principem per partes* [illegible], *totum nequaquam expressimus. Nihilominus nobis felicem errorem, qua* LVDOVICI *est gloria, gratulor, gaudeoque, quod, etsi nulli pepercimus operæ, totus tamen fingi nequiuerit. Fecimus quod in nobis fuit : cæterùm si totus pingi voluit, talis esse tantusque non debuit. Iactura interim nostra cælum ditescat, damnis nostris locupletetur æternitas, &, quando ita superis* LVDOVICVS *placuit, vt eum nobis inuiderint, gaudeant Principe virtuti simillimo. Tu verò (* Vir Illustrißime *) habe hoc illius encomium, si non arte, certè materia pretiosum. Cui enim æquiùs* IVSTI *Principis laudatio debeatur, quàm æquitatis apud Romanos patrono, Themidis fautori, iustitiæ præstiti? Nolim tamen ex tam tenui opere, vel meã in te obseruantiam, vel* IVSTI *Principis magnitudinem æstimes: siquidem illius mensura erit ætas mea, istius sola æternitas. Vale.*

Illustrißimæ Dominationi Tuæ

Addictißimus

Ioannes Lagar Societatis Iesu.

LVx



LVDOVICI XIII.
IVSTI
FRANCIAE, ET NAVARRAE
REGIS CHRISTIANISSIMI

Laudatio Funebris.



ICISTIS tandem ſuperi; inexorabile cælū fuit; maturā virtutem inuidit æternitas. Audit. ò ſpes inanes, ò irrita vota, ò fallaces cogitationes! proh dolor importunè tributum exegit natura; cecidit expectatus ſeculum integrum bellator; Chriſtianæ religionis columen euerſum eſt; ſpes orbis totius publica defecit; Sol Gallicus medio in cælo laborauit: denique, refugit animus meminiſſe, tunc cum ſupra inuidiam, & citra meritum, in ſpeculis fati, & fortunæ ſtaret in apice,

maximus ille huius ætatis Alcides LVDOVICVS naturæ ſuccubuit. Quæ clades ita repens, & inopina, mihi nihil caducum tam excelſo in rege cogitanti, adeo ab eius meritis eſſe videtur aliena: vt quamuis funebrem pompam, cenotaphij molem, lugubres tædas, atratos parietes, & veſtrum omnium vultus ad dolorem compoſitos præſens aſpiciam; egoque ipſe nunc temporis triſti laudatoris officio perfungar: adhuc tamen oculis diffidam, veniat in mentem dubitare, & hallucinari me putem. Ita eſt nihilominus, ita eſt, & hæc fruſtrà ſibi amoris ſui ſimulachra fingit mouetque incredulus animus: veſter ò Galli Rex, ò Romani defenſor, ò aræ, ò ſacra, propugnator extinctus eſt; & quo nuper in templo pro illius triumphis gratiarum ſupplicationes inſtituebamus, in eodem magnis ipſius Manibus parentamus. Quare ſufficiat hodiernæ noſtrum omnium conſolationi, quando huc maximo Principi extrema officia reddituri conuenimus, & vltima vitæ periodus iudex cæterarum eſſe conſueuit, cogitare, illius mortem expreſſam fuiſſe imaginem, quæ eius vitæ virtutes ſingulas numeris omnibus adumbrarit, & LVDOVICVM morientem his duabus, quæ in ipſo eminebant virtutibus, fortitudine ſcilicet & pietate, ſibi adhuc valenti, vegeto, atque florenti fuiſſe ſimillimum.

Proh quantum in fortitudinis palæſtra collegit puluerem LVDOVICVS. Quoties in hoc theatrum

trum inſitum animo robur tentaturus deſcendit; toties tam exercitato pugili orbis totus ſpectator applauſit; & feſtis lætitiæ clamoribus victorem adeo fortunatum triumphis omnibus ſuperiorem prædicauit. De multis duo certamina colligam, in quorum altero de fortunæ inuitamentis fortiter, in altero de perfida Hæreticorum impietate generosè: in vtroque tandem de ſeipſo gloriosè triumphauit.

In primis quidem quò peregrinos hoſtes nullo labore conficeret, primum domeſticis certamen indixit. In regibus libertas maxima: licere ſibi putant quidquid libet: ad vitia, quibus ſunt proximi, à quibus tamen eſſe debent alieni, adulatio placidè ſolicitat, authoritas acriter ſtimulat, & quæ ſemper illorum in manu ſunt, mollia ipſa temporum arbitria violenter incendunt. Illis quidem maxima virtutis eſt copia, nullius tamen rei maior eſt quàm peccandi licentia: quare illis aſſiduum cum vitijs certamen inſtat, in quo eum qui vicerit non ego cum ſummis viris comparo; ſed ipſis ſuperis ſimillimum iudico. Qualem ergo te quantumque prædicabo LVDOVICE? qui tui iuris, & arbitrij, inter tot molles peccandi aditus, tot lenocinantes vitiorum illecebras, & in tam lubrica regiæ tuæ ætatis teneritudine, indolis lenitate, dignitatis potentia adeo non ſuccubuiſti: vt ne vel oculis quidem delibata pulchritudine conſtanter ſuauiſſimos tenerrimæ palæſtræ conatus ſuſtinueris; &, ſi veritati

ſeruiat oratio, raro caſtitatis exemplo mentem Veſtali ſimillimam conſeruaris. Animo intacto, conſcientia illibata, cogitatione integra, vita immaculata. Nihil ob oculos molle, nihil non caſtum auribus, in aula denique, nec verba, nec mores paſſus prætextatos. Nihil fingo Aud. hoc Gallia prædicat, exteri ſuſpexere, & ipſi oculi peregrini teſtantur. Non Conſtantini domus religioſior, non Theodoſij regia moderatior, non, penè dixerim, Dauidis aula Sanctior.

Per me ergo licet, legant alij tuæ fortitudinis veſtigia, tot locis impreſſa, tot trophæis erecta, tot nobilitata victorijs: perſequantur ea altè ſignata Oceano, Mediterraneo, montibus, rupibus, Alpibus, Pyrenæis: næ illi longiùs enimuero peregrinantur: Deus me adiuuet niſi ego in aula tua, & intra teipſum maiora tuæ fortitudinis monumenta detexerim: illic enim viciſti hoſtes numeroſos, cautos, potentes; apertè tamen infenſos: & ea victoria, cuius laudem, occaſio, milites, & Fortuna participant: hic verò ſola tui pectoris virtute nixus, (quod vincendi genus longè prçclarius eſt atque diuinius) domuiſti hoſtes multitudine innumerabiles, fraudibus præſtigiatores, vincere aſſuetos, ad ſpeciem amicos. O animi robur inuictum, ò præſtantiam admirabilem, immò ò LVDOVICI fortitudinem numeris omnibus abſolutam.

Enimuero altitudinem animi, fiduciam, toleran-

tiam, quæ fortitudinis partes sunt, si desideras; tantùm arcem impietatis Rupellam cogita. Illic elucescit mirum quantum sublimis animi celsitudo: cum arduum illius obsidendæ consilium, stupendum aggeris opus, sudatæ maris habenæ, & rebellis ciuitatis extorta tandem deditio memorantur. Illic non mediocriter eminet fiducia, cum in tam difficilibus inceptis quæ olim plurimorum regum potentiam eluserant: nihil tamen vnquam MARS ILLE GALLICVS, cælo auspice, superisque patrocinantibus de sua virtute diffidit. Illic mirificè se prodit, & emicat tolerantia, qua castrorum incommoda placidè, temporis iniurias patienter, aeris inclementiam moderatè, impietatis pondus strenuè, Hæreseos impetum animosè sustinuit: eo tantùm consilio, vt templorum euersores deleret, religionis hostes opprimeret, ipsamque impietatem intra insanas illas perfugij sui molitiones extingueret. Quid dico: cum ipsa ad fortitudinem clementia pertineat, grassantem quidem perfidiam atque improbitatem compressit: sed tamen vt de seipso gloriosè triumpharet, rebellibus domitis indulgentia planè singulari pepercit. Illi diuinæ fortitudini debemus, Benearniam captam, Occitaniam ab errore purgatam, montes Albanum & Pessulanum deditos, & alia innumera bellorum maxima felicitate gestorum decora; quæ, quando ea satis superque, quà patet orbis, fama virtusque vulgarunt, liben-

tissimè prætermitto, ne dum fortitudini nimis immoror fiam iniurius pietati.

Illa itaque pietas, LVDOVICO, vbi primùm parentis in vtero vitam hausit, custos tutelaris est tradita: ideoque velut indiuidua comes illius lateri continenter adhæsit. Semper illi præstò adfuit, in conclaui, in templo, in castris. Oranti astitit, assedit laboranti, cũ illo periclitata est. Et quoniã principem bellicosissimum illa magistra cælestis erudiendum susceperat; illi duobus tantùm præceptis compendiosum ad securam felicitatem iter adornauit. Alterum ad ineundam vitæ domesticæ rationem principe dignam; alterum ad felicem bellorum administrationem pertinebat.

Quare hoc primum regio alumno, quatenus principi, altè pectori documentum infixit. Cogitaret quotidie sacram esse regum maiestatem, Deoque proximam atque simillimam: ideoque in se Deum exprimere, quoad fieri posset, ipsius Dei cultu, & vitæ integritate contenderet. Cuius præcepti benè memor PRINCEPS RELIGIOSISSIMVS, nullum vitæ diem auspicatus est, quin, vbi primùm excitatus è somno sese erexisset in pedes, præsentem numinis & Virginis opem affusus imploraret: nullum passus est abire mensem, quin, ritè abstersis conscientiæ maculis, cælestibus epulis religiosè pasceretur: nullum cadere diem, quin, licèt grauissimis regni negotijs, & difficillimis bellorum

con-

consilijs teneretur : tamen, ò singularem pietatem! sanctissimis incruenti sacrificij mysterijs interesset : ea oculorum modestia, ea corporis compositione, eo animi sensu, vt spectantium mentibus maximum rerum diuinarum amorem ingeneraret. Quid vltrà desiderares in homine qui perfectæ sanctitatis apicem meditetur. Omitto quòd ex integritate viuendi Ivsti cognomẽ inuenerit: quod subcisiuis horis carmen aliquod musicũ in Deiparæ cõmendationem exararit : quod quotidie, (volutet Cyri pædiam Africanus, cum suo dormitet Homero Pellæus Macedo) animum pij alicuius voluminis lectione refecerit. Taceo denique Delphinem aureum, & adamantinas coronas, quæ diuinis ædis Lauretanæ tholis non leue pietatis monumentum appendit. Mihi tamen prætermittere nefas est templum illud splendidum quod nobis in vrbe Galliæ Principe regia magnificentia collocauit. Atque hic ingratus plane sim, nisi prolixam illam quam toties nostræ Societati publice beneuolentiam nauauit, publica etiã grati animi significatione coluero. Et verò ita sibi sua in illã beneficia successerunt, vt nobis facultatem ademerit ea censendi præ numero, & æstimandi præ animo. Ecquis dignè Lvdovici cor æstimet? illud tamen pretiosissimum amoris in nos sui pignus nostræ Societati legauit; cuius ne vel imminente morte videretur oblitus, moriens, illam, vt rem sibi charissimam, enixè, Reginæ, Ducique

Au-

Aurelianensi maximis principibus commendauit.

Denique, quando indolis erat Martiæ, & bellorum futurus arbiter LVDOVICVS; hoc alterum pietas, quò bellorum exitus è sententia succederent documentum adiunxit. Meminisset in manu Dei esse victorias, easque de cælo, vnde profluunt, expectandas. Quod diuinum consilium quàm auidè BELLATOR EGREGIVS amplexus sit; locupletissimis exemplis est proditum. Testis est Angeriacensis obsidio: illic enim in castris crebra passim altaria posuit, tum vt vigiles dum subirent, aut exirent è specula, altaris opportunitas ad precandum alliceret, tum vt posteris testatum relinqueret, gaudere fortitudinem cum pietate connecti, easque mutuis auxilijs vtrinque iuuari. Testes sunt Nauarrini, & Cleriaci deditiones; per illas enim armorum vi subactas Hæreticorum ciuitates, Christum solenni pompa, nudo capite, pedissequus, triumphantem inuexit. Sed hæc, quamuis magna, leuia sunt; maiora enimuero commemoro. Cum alibi semper præclarè, nusquam tamen illustriùs quàm in fani sanctæ Fidei expugnatione pietas LVDOVICI se prodidit. Deferebatur per publicas vias, & compita Phrygijs tapetibus conuestita, deditionis author Christus: ponè sequebatur ALCIDES CHRISTIANISSIMVS; cui cum innumera populi multitudo, quæ illuc Principi suo perduellionis hæreticæ domitori applausura confluxerat, festis lætitiæ

voci.

vocibus; VIVAT REX, acclamaret: ipse indicto silentio, proh diuinam vocem! exclamauit: honores Principibus deferri solitos, premi omnes atque extingui præsentia diuini numinis oportere: quasi dixisset, nolite amabo hanc superis iniuriam facere? quid mihi festum Pæana concinitis? nihil debet manibus meis victoria; non inficior ego pugnaui; sed Deus vicit: ars quidem Principum bellum est, sed victoria munus est cælitum: Hæresis se mihi dedidit, sed tamen cæli virtuti succubuit: eò redeant applausus vnde fluxit victoria: Qualem Principem, Deus immortalis?

Intelligo, iam profectò intelligo, ex illa cælesti institutione, & familiari pietatis consuetudine, cur in eius castris fieret stipendiaria temperatio, videretur in armis exercituum Deus, illique prælianti clypei Demosthenis lemma, Themistoclis numina, & Cæsaris tessera militarent. Mirari iam desino, cur, vt coronas iuris probaret esse cælestis, & muneris, solenni voto, imperium, populos, sacramque maiestatem perpetuæ Virginis clientelæ consecrarit. Hac magistra didicerat odisse Hæresim, Christianam Religionem propagare, in impietatem armari, & cruces illic erigere ad pietatis pompā vbi fuerant oppressæ ad ignominiam. O pietatem, dignam quam oratores prædicent, immortalitas excipiat, & tota minorū nostrorū ventura posteritas veneretur! ò te, tali ac tanto Principe felicē Galliā.

Ah.

Ah vulnus tetigi, erraui, pœnitet, dictum corrigo; te te potius infelicem Galliam tanto nunc, heu, Principe orbatam! Quo deuenimus Aud. ò funestam conuersionem! hìc hæret lingua, hìc deficit animus: confirma oratorem tuum PRINCEPS INVICTE: nam plus dandum est tuæ virtuti quàm meo dolori: quare, age, vt illo superis quidem digno, sed tamen luctuoso LVDOVICI cum morte luctantis spectaculo perfruamur, audacter quidem, non tamen sine dolore vulnus detego, vt dum ego extremos illius spiritus ore collegero, vos æstimatores integerrimi vitam cum morte conferatis, & de expressa vtriusque similitudine iudicetis. atque vt id præstare liceat accuratiùs,

Cogitate LVDOVICVM, bellatorem illum formidandum onustum laureis; illum Hæreseos euersorem trophæis inclytum, illum vrbium hostiumque domitorem victorijs immortalem: templorum decus, belli fulmen, Galliæ animam, aulæ Solem; in regio cubili lethali morbo decumbentem; rigenti corpore, membris languidis, effœtis viribus, colore exangui, vultu pallido, genis reconditis, aridis labris, oculis caligantibus, pulsu alternanti, spiritu interrupto: hinc adest Reginæ, regis sponsæ, parentis, filiæ, sororis, maiestas veneranda, in lacrymas diffusa, spreta forma, neglecto cultu, ad regis mariti latus aduoluta: illinc, gemini quatuor aut quinque annorum liberi Principes tot tantorum

torumque hominum eiulatibus, & morientis parentis amantissimi præsentia prorsus attoniti: circumstant vndique sapientissimi Senatus patres canitie venerandi, antistites illustrissimi, Principes nobilissimi, Duces fortissimi, inter gemitus & suspiria, LVDOVICVM, Optimum Principem; inter singultus & interruptas voces, Patrem clementissimum appellantes: nituntur ad lectum venerabundi Duces bellis inclyti, è remotissimis mundi partibus ad hoc triste spectaculum inopini reduces, & iam penè frigidam LVDOVICI manum aspergunt potius lacrymis, quàm osculantur: interea admonetur instare vltimam vitę periodum, excedendum è statione, ad immortales laureas properandum. ad quas voces dum cæteri omnes altè ingemiscerent, ipse collectis viribus receptoque animo hilariter monentem amplexus; *Mihi quidem*, ait, *hæc hora ex voto aduenit, morsque planè est in delicijs, eamus*.

Quid dicis LVDOVICE? illane vox hominis fracti cruciatibus, corporis imbecilli, animi doloribus consumpti, *Eamus*, inquit, sed quò tam alacriter REX INVICTE, bellum videris, aut victoriam meditari: ita est, *Eamus*, vocor ad certamen, manus cum morte conserendę, properemus, properemus, sed quò? quò? quò Deus vocat, quò perrexere LVDOVICI, illuc vbi me prę stolantur maiores fortunati, parentes felicissimi: pateat mihi

pateat

pateat ſacrum illud Sancti Dionyſij templum, vt parentum meorum Mauſolea conſpiciam, ecce quò libens pergo, *hæc erit mihi domus ſuprema, hæc ſtatio vltima*.

Nullus ergo te, PRINCEPS FORTVNATISSIME, detinet fortunę tuæ florentis amor, nulla gloriæ cupido, nullum viuendi deſiderium: vbi tuus in ſubditos amor, tua Galliæ cura, tua regni ſolicitudo: ſub te meret victoria, tibi ſeruit fortuna, quieſcis in gremio felicitatis, *Eamus*. Num te mouet hæredis tui infantuli ætas tenellula, Reginæ Auguſtiſſimæ viduitas, ſubditorum maieſtati tuæ deuotiſſimorum orbitas, *Eamus*, te Deus vltrò ſequor quocumque vocas. At tam iuſta Gallorum omnium vota diuturniorem tibi vitam à ſuperis exorabunt; viderit Deus, ego ab illius nutu totus pendeo: & quando ad certamen cum hoſte ipſorum etiam Cæſarum domitore luctaturus deſcendo, ego quidem, quod meum eſt, vt Chriſtianus Athleta, in omnia militię diuinę verba publico Sacramento regiam fidem obſtringo: vos vero, quod veſtrum eſt, antiſtites religioſiſſimi, me viatico cæleſti inſtruite, Chriſtianis armis induite, & ad tam felix tanti certaminis nuncium ſacri Pæanis hymnum concinite: quòd ſi quis huc conſcientię liberioris auſu temerario ſpectator intrauit, è veſtigio pedem referat; defixo tamen priùs in hoc cubile oculorum obtutu, vt intelligat Principes etiam fortu-

fortunatiſſimos eſſe mortales. Vę nobis LVDOVICE quibus veriora cecinisti.

Vos interim Aud. LVDOVICI ſpirantis, & morientis imaginem adumbrate. Pietatem feliciter [illegible] pietati fatum expectantis, fortitudinem bellantis fortitudini cum morte luctantis opponite, & obſtupeſcite. An pietate mors vitę reſpondeat; ex tot virtutis illius exemplis quę moriens reliquit, intelligite. Vnum hoc quo vitam obſignauit religioni duxerim pręterire: cum ducem illum pręſtantiſſimum, qui FORTITVDINIS, à propria potius virtute, quàm à familia, nomen obtinet; per tot victorias quibus tam glorioſum nomen cumulatiùs impleuit, ſemel iterumque obſecrauit, ne illuſtrem illum famę glorięque tot bellis partę ſplendorem, Hæretica morte pateretur extingui: teſtatus ſe præclariſſimè victurum ſi tam felix nuntium; aut ſibi apud ſuperos veniſſet, aut morientem occupaſſet. Fortitudine autem, num morti proximus, ſibi adhuc vegeto, atque valenti ſit ſimilis, vel hinc colligite: quòd licèt iunctis copijs, & communi contentione natura ſimul & fortuna præſtantis illius animi magnitudinem oppugnarent, & vtraque exuendam purpuram, deponendum diadema, abdicandum imperium, in cumulo felicitatis, plenis fortuna velis, hærede quinquenni, intentaret: ſteterit tamen ita inconcuſſus, vt in tam graui certamine, nec naturæ ceſſerit, & for-

tunam.

tunam vicerit; non morbi doloribus fractus, non curis obrutus, non imminentis fati præsentia territus: quin immò in illis angustijs serena fronte, tranquillo animo, sermone affabili colloquebatur: alteri enim brachia sua, duo illa bell[illegible] illa imperij Gallici propugnacula, denudans, *vide*, aiebat, *vt arida, vt fracta, vt diuturnioris morbi doloribus consumpta? viden emarcuit caro? defloruit robur? languent nerui? nullus inest vigor? ossibus cutis hæret*. Alteri, pectus, Augustum illud pietatis sacrarium, inexpugnabile illud fortitudinis asylum, aperiens; *numera*, inquiebat, *ossa? viden mortis rudimenta? sola pellis extenta superest? nullus calor, virtus restat nulla? languent omnia*. Denique vtrique alternatim placidissimè subridens, & ad cælum oculos erigens, lætus, & alacer, ò rarum fortitudinis exemplum! exclamabat, *etiam principibus, naturæ necessitati, & mortis dominationi parendum est*. Sed quid tamdiu funestum casum dissimulo.

Hæc enim dicentem ita defecere vires, vt paulò pòst inter plenos amoris diuini gemitus, & cælestia suspiria, suam illam gloriosæ vitæ imaginem inuicto spiritu vegetans, defixo in cælum, quò pergebat, obtutu, postremùm laborarit æternitati. Extincto clausit oculos pietas, quæ si vsque ad senectutem tutelam suam non produxerit, aut naturæ quæ vitium iam fecerat culpa est, aut Dei vigilantis arcanum.

Proh

Proh Manes Augusti doloris nostri numina! ergo nunquam deinceps LVDOVICE milites illi tui gloriosi, vel te in confertas hostium acies sequentur intrepidi, vel applaudēt laureati? ergo nunquam posthac domitis armorum potentia hostibus te tua feliciter reducem aspiciet Gallia? ergo nunquam te totum populo tuo officiosis salutationibus diuidentem, te nunquam aris affusum, te nunquam ad Virginis pedes supplicem admirabimur? proh dura necessitas.

Vixit ergo Princeps ille maximus, quem timuit Hæreseos Lærna, vt Herculem, quem secuta est Galliæ nobilitas, vt Martem, & quem nos extinctum veneramur, vt solem: quem in hoc verè retulit, quòd moriens, sicut sol dum occidit, alijs lucem ademerit, alijs reddiderit: hoc tamen, proh dolor! dissimilis, quòd, sicut sol, non quotidie reuixerit.

Ita est, desunt sua dolori verba, vixisti LVDOVICE. Nec mortem tuam querimur: frustra enim, sæpius, mortem, nec famæ tubam, nec Heroum nostrorum laureas curasse doluimus: cum parentes illi tui non tam nomine, quàm virtutibus magni, Caroli, & Henrici, post immortalia facinora tandem inuenti sunt homines. Neque tibi immaturam ducimus, probè gnari non raro apud superos pro annis virtutes præclaraque facinora numerari, & pietatem pro tempore computari. Te nobis tantùm

impor-

importunè præcoci funeris ācerbitate lugemus ereptum : ſi tamen ereptus es , & non in Auguſta illa ſobolis tuæ maieſtate rediuiuus .

VIVE REX INCLYTE : iam nunc quinquennis Erope , adoleſce, vt pater, in victorijs : vt cum eam quam tibi ex animo apprecamur longiſſimam ætatem , & felicitatem , vitæ ſatur attigeris, auito Caroli Magni more ſeneſcas in palmis. Dixi.

LAVS DEO.